

**Eryci[i] Pvteani Pietatis Thavmata In Bernardi Bavhvi[i]  
è Societate Iesv Protevm Parthenivm**

**Puteanus, Erycius**

**Antverpiæ, 1617**

Ψ. In elementis quæsita Virginis imago: in cælo reperta. Quidquid infrà iacet, paruum & prauum esse. Virginis hostes sidera timeant; tela sunt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70659](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70659)

tum acroama; placeat, hoc Virgo celebratur. Sed cùm hæc dico, Proteus noster Orpheus fit; imò Vates noster Orpheus fit, *Threicius* ille inquam apud Poëtam *longâ cum veste sacerdos*. Versu uno, versibúsque mille, idem vterque agit. Quid?

*Obloquitur numeris septem discrimina vocum.*

## THAUMA Ψ.

*In elementis quæsta Virginis imago; in cælo reperta.*

*Quidquid infrà iacet, paruum & prauum esse.*

*Virginis hostes sidera timeant; tela sunt.*

**C**AELVM spiro, terram fastidio: quid mirum  
iam, si frequentiùs cælum nominem. In cælo  
Virgo est; & huc penetrauit Proteus, vel ideò  
Cælestis, quia Virgineus; ideò Proteus, quia Vir-  
ginis Dotes venustissimâ ac stellatâ metamor-  
phosi explicat. Quid dicam? huc penetrauit Va-  
tes, & per elementa omnia Proteum dicens, mi-  
nora Virgine simulacra inuenit, quæ non à cælo  
sumuntur. Primùm quidem quid natura patiatur,  
in terrâ examino. Ut *σωμα* versus esset, in hor-  
tum iussus est & paradisum transformari: *Hortus conclusus*, & *Paradisus voluptatis* Virgo nomi-  
nata est. Sed quid? & horto Virgo floridior, &  
paradiso amœnior. Aquam inspicio. iussus in  
fontem & puteum verti: *Fons signatus*, & *Putens*  
*aquarum viventium* Virgo nominata. Sed quid?  
fonte

fonte Virgo perennior , puteo purior . Aërem  
lustro. iussus in cedrum & oliuam mutari : *Ce-  
drus exaltata*, & *Oliua speciosa* Virgo nominata.  
Sed quid? Cedro Virgo sublimior , oliuâ pul-  
chrior . Ad ignem venio . hunc totum , vel non  
monente Vate , Proteus induit , pietate ardere  
cœpit , & in cælum subiectus est . Quid hîc  
agis ô ingeniosum prodigium ? quam imaginem  
moliris ? Tot stellæ , tot μορφώσεις sunt : quam af-  
sumis ? omnes , omnes : & omnibus tamen pul-  
chrior , imò maior Virgo est , omnémque Pro-  
teum vincit . Stellæ omnes in imaginem vnam  
coēunt ; & ne sic quidem Virginis maiestas ad-  
umbratur . Quid porrò ? Ultrà ire humano in-  
genio concessum non est ; summam naturæ ima-  
ginem Vates tentauit . Cedant igitur iam quæ  
infrâ iacent elementa , ac facessant : in vitiorum  
fomenta , & quodammodo simulacra veniunt ,  
pulchrè eodem Vate scribente :

Lib. II.  
Select.  
Epigrā-  
matum.

*Terra, Vnde, Aura, Ignis, sunt corpore quattuor  
hostes;*

*Hinc nobis Fastus, Duritia, Ira, Venus.*

*Vnde parit Venerem , ventosâ Fastus ab Au-  
râ est,*

*Duritia è Terrâ est, Ignibus Ira venit.*

Iterùm , cedant elementa , ac facessant : toto cæ-  
lo Virginis imago constat , sed imago , & infra  
Virginem posita . Cælo tamen , & sic pulcher-

P rima,

rima , sic maxima : conspicua omnibus, admiranda omnibus. Cælum si hostes habet , hos prosternet Virgo : Virgo si hostes habet , hos arcebit cælum . Quot sidera, tot tela video:quot Dotes Virginis , tot sagittas . His confixa impietas , in terram deprimet caput : Proteum autem , quia cælo armatum , verè fulmineum confitebitur.

## T H A V M A Ω.

*Vera hominis quies & felicitas. Virginem, dotę-  
que Virginis in cælo legi : pulchritudinem, po-  
tentiam, benignitatem eminere. Pietatis clau-  
sula ac votum.*

**Q**VID corpore mortales in sublime erecti,  
pronā mente terram sequimur , & inanum  
curarum pondere depresso volutamur ? Quies  
in superis locis , felicitas in æternis . Hic Virgo  
est , quam colimus: hic Proteus , quo Virginem  
colimus ,

*Sidera cuncta notat, tacito labentia cælo.*

Quia in cælo Virgo est , à cælo deriuari imago  
debuit : imò quia in cælo Virgo est , non alibi  
versus scribi Virgineus debuit , non alibi faciem  
Proteus variare . Attolle yultum , & animum  
erige : in stellis Dotes leges Virginis , & laudes  
inuenies: ipsum te docebit cælum , qui Virgi-  
nem